

Petrus de Vinea

*Ep. III 49 (Gratum gerimus
et acceptum et uestrae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 49 (Gratum gerimus
et acceptum et uestrae...)*

giugno 1247

Cuidam communitati comendatio de seruitiis exhibitis,
et ut credant nuntiis.

1. Gratum gerimus et acceptum et uestrae deuotionis
studium fauorabiliter commendamus, quod, sicut ex
insinuatione Friderici de Antiochia, sacri Imperii in
Tuscia et ab Amelia usque Cornetum et per totam
Maritimam uicarii generalis, carissimi filii nostri,
nostra nuper serenitas intellexit, ad depopulationem
nostrorum rebellium Perusinorum et castrorum sui
districtus deuote, concorditer ad ipsius requisitionem
et uiriliter processistis. 2. Vt igitur fidelitas uestra per
effectum operum de bono semper in melius clareat
incessanter, deuotionem uestram sollicitandam duximus
et hortandam, mandantes, quatenus ad executionem
seruitiorum nostrorum et depressionem rebellium et
specialiter ad Perusinorum proteruiam edomandam, ad
requisitionem et ordinationem predicti filii nostri, iuxta
solitum uires et animos unanimiter assumatis; et sic ad
honorem nostrum et Imperii ac nostri fauoris augmentum
prosequamini uiriliter et potenter, ut, quod in ipsius
exhibitione seruitii laudabiliter incepistis, laudabilius
finiatis. 3. Preterea, quia G. de..., iudicem, et R. de...,
fideles nostros, super quibusdam negotiis pro bono et
salubri statu uestro ad honorem et fidelitatem nostram
uobiscum tractando, prout in capitulis sub sigillo eis
a nostra maiestate commissis plenius continetur, ad
uos nuntios destinamus, fidelitati uestrae mandamus,
quatenus ea, quae iidem nuntii nostri super hiis oretenus
ex parte culminis nostri retulerint, firmiter credere,
tamquam ab ore nostro prolata, et efficaciter ob nostram
reuerentiam adimplere curetis, ut deuotionem uestram,

quae semper beneplacitis nostris se promptam exhibuit,
proinde merito commendemus.